



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IX. De obligatione Parochorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

quando contuli. Itaque secundum hæc opinionem non esset ibi celebrandum ante novam consecrationem, nisi addito Altari portatili.

Addo tamen, si quis in tali Altari bona fide celebrasset, putans non esse violatum, idem dici posset quod supra dixi ex probabili sententia, hoc sufficere, ut in eo continetur Sacrificium. Hæc dico probabiliter, quia hoc turbulento tempore, non facile est Episcopum vel Suffraganeum in his remotis locis habere, qui de his iudicet, & denuò altaria consecret militari excursioni in prædam data. Et cum inter Canonistas disputetur, an talia altaria sint prophanata, probabili sententiæ hic favere licet, donec veniat Episcopus, quasi Propheta, qui respondeat de lapidibus istis.

C A P U T IX.

De obligatione Parochorum.

QUAERO: Quando teneatur Pastor celebrare pro populo? Responderi debet: teneatur diebus Dominicis & Festis per se vel per alium celebrare, ut possit plebs

plebs præcepto satisfacere. Non tamen tenetur ita pro populo celebrare omnibus Festis aut Dominicis, quin possit stipendium accipere ab aliquo particulari, illi fructum specialem applicando, maximè si sint tenues ei relictus; nisi fortè lex Diœcesis vel consuetudo ad id obliget. Quapropter consuetudine & lege nostræ Diœcesis Leodiensis distinctæ sunt Parochiæ, ita ut quædam dicantur Curæ integræ, quædam curæ mediæ, quædam quartæ capellæ, & secundum id sortiuntur obligationes applicandi populo Missam speciali titulo, vel in hebdomada semel, vel in quindena, &c. Pro ulterioribus Missis accipere possunt stipendium etiam in diebus festis.

Notant tamen Pastores, quod in minoribus etiam Parochiis teneantur frequenter celebrare, sive per se, sive per alium, si abesse eos contingat; quia tenentur procurare bonum populi sui per media ordinaria. Unde non facile excusarim à gravi peccato nonnullos

nullos Pastores, qui ad aliquod heddomadas absentes, putant sufficere quod Dominicis diebus procurent celebrari aut festis, eò quòd suas curas dicant medias esse, ut quartas capellas. Quia hoc non fit sine detrimento plebis, & iusta querimonia.

Quærent hic Sacerdotes qui duas Ecclesias habent, in quibus eis conceditur biuare, quomodo se gerere debeant Feriâ 6. Parasceves? Resp. si non possint per alium in alterutra Parochia officium celebrare, debere convocare populum ad unam Ecclesiam; & hoc debent suadere quoad fieri potest, si Parochiæ sint vicinæ. Quod si nec hoc possit fieri, sed utrobique sit Officium Parasceves celebrandum, in primo Officio non ponat vinum in Calice, sed sumat Hostiam absque ablutione ut possit jejunus iterum officium facere in altero loco: quia non est ita necessarium vinum adhibere, quam jejunum communicare. Unde si vinum sumpserit in primo officio, non debet communicare in secundo, sed

Ho-

Hostiam pridè consecratam reponere in Sacrario. Nec potest Episcopus dispensare, ut quis non jejunus celebret, aut communicet.

Nota: Quando Parochi volunt renovare Hostiam quæ est in Remonstantia, debere duas Hostias consecrare, & unam illarum sumere. Unde est error quorundam, qui eam quam consecrarunt, exponunt, & eam non sumunt, sed veterem alio sacrificio consecratam. Debet enim Sacerdos de Hostia sumere quam in isto suo sacrificio consecravit, non aliam alio sacrificio præ consecratam. Quamvis & hanc simul possit sumere cum sua.

Quidam etiam Theologi non probant, quod aliqui pixidem mox à consecratione reponant in Tabernaculo extra Aram, aut quod eam dent alteri Sacerdoti ad distribuendum plebi in alio altari. Nam sicut ex hostia sua Sacerdos non debet dare partem usq; ad finem sacrificii, sic nec de illis particulis quæ sunt victima illius sacrificii, sicut & hostia major, nec decet ut prius quis-

quispiam participet de suo sacrificio, quam ipse participarit, quandoquidem & ante ejus sumptionem necdum sit hostia integrè & perfectè sacrificata. Atque omnes oblationes, orationes benedictiones, spectant etiam ad parvas hostias æquè ac ad majorem: ideoque debent esse super Aram, super Corporale, juxta Calicem; nec distribui debent antequam Sacerdos communicarit.

CAPUT X.

De administratione Eucharistia in gratia statu. Conclusio.

Administrans Sacramentū Eucharistia cum conscientia peccati mortalis sine contritione & confessione, vel saltem proposito confitendi, peccat mortaliter. Ita Rituale nostrum Leodiense pag. 101. & passim Ritualia, in aliis Dioccesibus. Quare multis dictis & piis, qui rem ponderant in pondere sæctuarii, displicet opinio illa, cujus inter primos patronos recensetur Valerius, quem nonnulli secuti sunt recentiores, quæ dicit: *Ministrum non peccat*